IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477 Seite 21r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



spem non videant eum nunc / nec etiam per scripturam multum clare quam obscura est in prophetis et in aliis predicatoribus qui veluti nubes a terrenis eleuati compluunt verbum dei

Obscura est dico scriptura In comparatione fulgoris qui inerit in conspectu manifestationibus eius quando scilicet videbitur facie ad faciem pre fulgide et splendide pre aliis nubes scilicet apostoli transierunt a iudeis ad gentes transierunt quidem ut grando obiurgatione dura corda feriendo et ut carbones ignis humana corda igne diuine caritatis et ardore fidei accendendo

Per quas nubes scilicet predicatores Intonuit excelsus dominus verbo comminationis contra malos et idem altissimus dedit vocem suam suauem promittendo immensa premia iustis / grando respicit comminationem que fit malis ignis vero amoris respicit promissionem facta bonis

Misit apostolicos viros sagittas suas propter velocitatem cursus et strenuitatem officii virtutum pennis recte volantes et dissipauit vicia in eis ad quos ~~missit~~ misit illos et in manifestationem sue potentie multiplicauit miracula et conturbauit eos .x. pre admiratione et pauore reddidit omnes stupidos

Et aperuit veritatem duorum testamentorum que sunt fontes aquarum salientium in vitam eternam apostolis quando xpristus aperuit eis intellectum ut intelligerent scripturas et tunc ex eorum predicatione reuelata sunt dicta prophetarum que ante non intelligebantur super quos totius ecclesie fundamenta locantur

Verum domine licet ista exterius ab apostolis processerint sicut a ministris / tamen facta sunt te interius docente et operante